



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni  
Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones  
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis  
Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

**Henricus, de Sancto Ignatio**

**Leodii, 1709**

Caput 232. Regularis approbatus ad tempus limitatum,, eo elapso,,  
confessiones sine nova approbatione audire nequit, sive justè, sive injustè  
fuerit limitatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73212)



gularium, quibus ipsis (iniuste ab Episcopo recusatis) per Clementinam *dudum* de privilegiis, aliaque SS. Pontificum Constitutiones, concessum erat secularium confessiones audire: utpote praesenti Decreto Concilii Tridentini abrogata.

2708 Sequitur 2<sup>o</sup>. etiam Lectores & Graduatos in Theologia huic legi Tridentini subiectos esse, uti 6. Augusti 1571. declaravit Pius V. Constitutione, quae incipit, *Romani Pontificis*.

2709 Sequitur 3<sup>o</sup>. Episcopi approbationem non requiri ad audiendas confessiones Regularium. Cum Tridentinum eam solum requirat ad audiendas confessiones secularium.

2710 Sequitur 4<sup>o</sup>. Episcopi approbationem non requiri in habentibus Parochiale Beneficium: utpote qui à Tridentino excipiuntur. Ipsi tamen per suam institutionem in Parochos, solum accipiunt ordinariam jurisdictionem audiendi confessiones in Parochia sua; non in tota Diocesi. Nec censentur pro tota Diocesi approbati, nisi quatenus idonei censentur, ad audiendas in tota Diocesi secularium confessiones, accedente Parochorum consensu (quo consensu, secundum declarationem SS. Pontificum, non indigent Regulares privilegiati) per consensum namque Parochorum delegatam accipiunt jurisdictionem audiendi confessiones in Parochiis ipsorum, ubi sic habet consuetudo per Episcopum approbata; prout sic habet in Belgio. Aliis quippe Parochiale Beneficium nullam ipsis, nisi in Parochianos suos, tribuit jurisdictionem.

2711 Et quia cessante titulo jurisdictionis, cessat iurisdic-tio, statim atque Parochus definit esse Parochus, jurisdictionem ad audiendas confessiones habere definit, nisi forte prius ad eas audiendas approbatus fuisset independenter à Beneficio Parochiali. Ita cum communi Barbofa in *Trid. sess. 23. c. 15. n. 21. & p. 2. de offic. & potest. Episc. allegat. 25. §. 16.* ad id referens declarationem S. Congregationis Concilii Tridentini.

#### CAPUT CCXXIX.

*Unius Episcopi approbatio non sufficit ad hoc ut Sacerdos, etiam Regularis, secularium confessiones ubique audire possit.*

2712 **A**SSERTIO certa est 1<sup>o</sup>. quia, cum Innocentius X. ad instantiam Episcopi Angelopolitani, per S. Congregationem Cardinalium, ad id specialiter deputatorum, in iudicio contradictorio anno 1643. examinari iussisset varias quaestiones, quas inter nona erat: *an unum Regularis quicumque, etiam Societatis Jesu, possit administrare Sacramentum Penitentiae secularibus, sine licentia Episcopi Diocesani, si in alia Diocesi approbatus sit.* Congregatio respondit: *Regulares, etiam Societatis Jesu, in sua Diocesi ab Episcopo approbati, ad confessiones secularium audiendas, nequaquam posse, in alia Diocesi, huiusmodi confessiones audire.* Quam resolutionem Innocentius X. per Decretum, quod incipit, *cum sicut*, autoritate Apostolica confirmavit, observarique praecipit ab omnibus Regularibus, etiam Societatis Jesu, non obstantibus privilegiis, sub quacumque forma & tenore concessis.

2713 2<sup>o</sup>. S. Congregatio Cardinalium, anno 1659. ab Alexandro VII. specialiter deputata, hanc propositionem: *Regulares Ordinum Mendicantium, semel approbati ab uno Episcopo, ad confessiones audiendas in sua Diocesi, habentur pro approbatis in aliis Diocesis, nec nova indigent Episcoporum approbatione: declaravit falsam, & saluti animarum perniciosam.* Eandem declarationem Alexander VII. per Breve ad Episcopum Andegavensem, autoritate Apostolica confirmavit; atque à cunctis tenendam, & in praxi observandam, sub gravibus poenis mandavit, non obstantibus quibuscumque contrariis.

3<sup>o</sup>. Clemens X. in Constitutione *superni magni Patris-familias* anno 1670. cum expressa derogatione omnium privilegiorum, & consuetudinum in contrarium, declaravit, *Religiosos, ab Episcopo ad confessiones secularium audiendas approbatos, non posse, in alia Diocesi, eas ab Episcopo Diocesani approbatione audire, quatenus praesentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati.* In quo postremo Religiosi approbati differunt à Parochis, qui Parochianorum suorum confessiones in aliena Parochia & Diocesi audire possunt; cò quod ordinariam in illos auctoritatem habeant, quam ubique exercere possunt, quoad ea quae sunt abique strepitu iudicii.

4<sup>o</sup>. Congregatio Concilii, ante novissimas istas declarationes, die 6. Junii 1608. declaraverat, *tam Seculares, quam Regulares, in una Diocesi approbati ad audiendas personarum secularium confessiones, non posse in alia eisdem confessiones audire, absque Episcopi Diocesani approbatione, ut videre est apud Barbofam p. 2. de offic. & potest. Episc. allegat. 25. §. 32.*

5<sup>o</sup>. idipsum adhuc diù ante declaratum erat in Clementina *dudum* de sepulchris, quoad hoc nunquam revocata, sed (ut vidimus) à Sede Apostolica saepius confirmata, & imovata. Ibi enim sic habetur: *Provinciales... Ordinum Praedicatorum exigere studeant personas sufficientes, idoneas, vitæ probatas, discretas, modestas, atque peritas, ad tam salubre ministerium, & officium exequendum. Quas sic ab ipsis electas representent. Praelatis, ut de eorum licentia, gratia, & beneplacito, in... Diocesis eorumdem, huiusmodi persone sic electae confessiones confiteri sibi voluntariam audiant... extra Civitates & Diocesis, in quibus fuerint deputatae, confessiones nullatenus audiant.*

#### CAPUT CCXXX.

*Ad audiendas secularium confessiones, non sufficit approbatio obtema ab Episcopo praesentis; sed necessaria est approbatio obtema ab Episcopo loci, ubi audienda est confessio.*

**S**ic pro certo sentio cum sapientissimo Patre nostro Lezana to. 1. qq. regular. c. 19. n. 19. contra Magistrum meum Bonae-Spei de penit. disp. 11. n. 25. Et sic pro certo sentire debent omnes, postquam Clemens X. sic expressè declaravit in citata Constitut. *superni*, prout n. 2714. vidimus.

#### CAPUT CCXXXI.

*Ad audiendas secularium confessiones, necessaria est approbatio obtema: non sufficit praesentis, & iniuste negata.*

**S**ic etiam pro certo sentire debent omnes. Tum quia Tridentinum expressè dicit, *approbationem obtineat.* Tum quia Alexander VII. damnavit hanc propositionem 13. inter 45. satisfacti praecipito *annae confessionis*, qui consistit Regulari, Episcopo praesentato, sed ab eo iniuste reprobat.

#### CAPUT CCXXXII.

*Regularis approbatus ad tempus limitatum, eo elapso, confessiones sine nova approbatione audire nequit, sive iuste, sive iniuste fuerit limitatus.*

**A**ptè sequitur ex dictis capite praecedenti. Et si lapsò quippe tempore, ad quod limitatus fuerat, dicitur.



deslitus est approbatione: sine qua juxta Tridentinum confessiones audire nequit. Neque enim approbatio, injuste ad annum v. g. limitata, eo elapso magis habetur pro approbatione obtenta; quam approbatio, injuste ab initio negata, habeatur pro approbatione ab initio obtenta. Et idem Urbanus VIII. in Brevis dato 30. Januarii 1639. in causa mota inter Episcopum Gicannensem, & Regulares illius Diœcesis, declaravit quod illi quos idemmet Episcopus approbavit, si quidem hujusmodi approbationem obtinuerint ad certum tempus, eo elapso non possint confessiones audire, absque nova ipsius Episcopi licentia & approbatione, prævisio etiam, si eidem liberis, novo examine.

## CAPUT CCXXXIII.

*Regularis usque ad revocationem approbatus, revocatione, seu jussu, seu injuste factâ, debet a confessionibus audiendis cessare.*

2720 Sequitur etiam apertè ex dictis capite 230. Quia revocatione factâ, quàmlibet injuste, equidem est approbatione deslitus. Tamen enim approbatio Regularibus Mendicantibus semel absolute & illimitate concessa, sine justa causa, ad confessiones pertinente, revocari nequeat: cò quod non habeat se per modum gratiæ ex se revocabilis, sed per modum justæ sententiæ, quæ transit in rem judicatam. Idcirco, rebus omnibus in eodem statu permanentibus, revocari nequeat, ut sæpius declaravit SS. Pontifices, ac novissimè Clemens X. in Constitutione citata, ibi: *Regulares verò ad ejusmodi confessiones audiendas, prævisio examine, simpliciter & absque ulla temporis prævisione ab ipsomet Episcopo approbatus (secus autem, si ab ejus Vicario, aut ab Antecessoribus Episcopis) non possit ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab ipsomet confessionibus audiendis suspendi, seu licentia ipsi concessa revocari, nisi nova superveniente causa, qua ipsas confessiones concernat. De qua tamen haud necessarium esse ut in actis constet, nec eam teneri Episcopum ipsi Regularibus significare, sed Sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit. Porro si Regulares cum scandalo, aut aliis inhonestè vivant, vel aliquid delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicio videantur à confessionibus suspendendi (in quo ipsius Episcopi conscientiam onerata esse volumus) cum præcipua Ministris Sacramenti Pœnitentiæ qualitas, sit vitæ integritas, ac morum honestas: utique eam causam ad confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil obviare, quominus ab eam possit Episcopus Regulares, à semetipso approbatus, suspendere, aut repellere à confessionibus audiendis. Sed & variæ etiam hæc de re extant S. Congregationis declarationes.*

2721 Scio à nonnullis oppositum practicari, non solum adversus dicta capite præsentis, sed & adversus dicta cap. 229. 230. 231. 232. Sed Deo rationem reddituris de periculis animarum, deque periculis Sacramentorum, quæ non sine sacrilegio invalide ministrant, de fœtu legitime potestatis. Maxime cum non magis liceat Pœnitentiæ Sacramentum, citra necessitatem, ministrare cum jurisdictione dubia, quàm cum materia dubia. Nec certum sit Ecclesiam supplere jurisdictionem, dum illud quis ministrat, sequendo opinionem probabilem: cum certum non præferatur illius supplementationis fundamentum, & contrarium per S. Congregationem sæpius sit declaratum, prout alibi ostendo. Denique illicitum sit in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, uti Innocentius XI. declaravit, propositionem, quæ negat illicitum, ut *minimè tamquam scanda-*

Tom. III.

*losam, & in praxi perniciosam damnando, & non solum eam defendi sub poena excommunicationis prohibendo, sed & insuper dillicite in virtute sanctæ Obedientiæ & sub interminatione divini iudicii prohibendo omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis & status, ne eam ad praxim deducant. Quantò ergo magis illicitum est Sacramentum Pœnitentiæ conferre secundum opinionem, improbabilem ( utpote contradicentem tot & tam apertis Ecclesiæ declarationibus) relicta tutiore, qualis haud dubie nostra est?*

His tamen non obstantibus, approbationes Regularibus datæ, cum clausula ad beneplacitum, vel usque ad revocationem, ex communi Jurisprudentiarum sententia, Christianique Orbis consuetudine, censentur perpetuæ, nisi taliter approbatus delicto aliquo seipsum gratiæ suæ admissionis indignum reddiderit. Quia tale beneplacitum significat arbitrium boni viri, ex justa causa procedentis, uti docent Menochius de arbit. l. 1. q. 55. n. 11. & 12. Bordenau de l'état des Causes Ecclesiastiques c. 16. L'oyseau l. 5. de Offic. c. 4. Chaffan. ad Consuet. Burgund. tit. 10. Boërius Decret. 14. 149. Lotherius de re benef. l. 13. c. 33. Felinus, & alii communiter.

## CAPUT CCXXXIV.

*Prelatos, & Confessarii Regulares, non approbati ab Episcopo, in Monasteriis & Collegiis suis audire possunt confessiones illorum secularium, qui ibi sunt verè de familia, & continui commensales. Non autem illorum, qui tantum ipsis deserviunt.*

2722 Sic enim declaravit Gregorius XV. Bullâ in-  
scrutabili, & Clemens X. Bullâ superni, hæc verbis: *in Monasteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta regularia Instituta vivitur, posse tam Prelatos Regulares, quam Confessores Regulares eorundem Monasteriorum, seu Collegiorum, audire confessiones illorum secularium, qui ibi sunt verè de familia, & continui commensales: non autem illorum, qui tantum ipsis deserviunt. Ubi Pontificem loqui de Confessoribus, etiam ab Episcopo non approbatis, liquet ex exceptione, illorum qui tantum ipsis deserviunt. Quos non exciperet, si de approbatis ageret.*

2723 Distinguenda itaque sunt duo genera secularium, deservientium Monasteriis. Alii enim sunt, qui sic ibi deserviunt, ut non sint de familia, nec intra septa Monasterii resideant, seu domicilium fixum habeant, sed solum ibi ad tempus sub stipendio serviant, ut artiffæ. Alii verò sunt de familia, & tanquam tales aluntur à Monasterio, intra septa illius domicilium & residentiam habentes (eo ipso namque verè dicuntur continui commensales, id est in Monasterio mensam fixam, sicut & domicilium habentes, tanquam verè de familia Monasterii existentes) & de istis, non de prioribus, Clemens X. loquitur. Isti namque, cum vivant sub servili obedientia Prelati Monasterii, exempti sunt ab Ordinario, Sacramentaque recipere possunt à Prelato Monasterii, & delegatis ab ipso, absque speciali licentia Ordinarii, non obstante Clementinâ Religiosi de privileg. & excessu. privileg. ubi Regulares prohibentur, absque speciali licentia Ordinarii loci, Laicis ministrare Sacramenta Extreme Unctionis, vel Eucharistiæ, vel eorum matrimonia solemnizare, præterquam in casibus à jure expressis, vel privileg. Sedis Apostolicæ concessis ipsidem. Siquidem Regularibus ad id privilegium concessum est à Sede Apostolica. Nimirum Augustinianis ab Innocentio VI. Bullâ 1. Carmelitis à Sixto IV. Bullâ 37. Mi.

Hhh h